



H. F. 181. a

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16



21 ~~XVI.~~

**PROGRAMMA**  
**DE**  
**VIRTUTE RESVRRECTIONIS**  
**CHRISTI**

**RECTE AC SALVTARITER**  
**AGNOSCENDA**

EX PHIL. III. IO.

**FESTO RESVRRECTIONIS**  
**DOMINI NOSTRI**

A. d. c. l. c. c. c. x. x. x. x.  
**IN ACADEMIA IVLIA**

P. P.

**HELMSTADII**  
**TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII**  
**ACAD. TYPOGR.**

*Reverendiss.  
Dno abbati  
Paulo v. d. A. A. A.  
Babu in China  
sic colendo  
S. P. P.  
Mandy.*



PRORECTOR ET SENATVS

ACADEMIAE IVLIAE

CIVIBVS SVIS ACADEMICIS

S. P. D.

**P**Raecipuum doctrinae et religionis christianae fundamen-  
tum, certissimumque spei nostrae argumentum esse arti-  
culum de resurrectione IESV CHRISTI, vnici mediatoris  
ac sponsoris nostri, cum omnes testati sunt apostoli, qui tes-  
tes resurrectionis CHRISTI ab ipso DEO designati datique fu-  
erunt, tum maxime gentium apostolus diserte luculenterque con-  
firmatum iuit. Etenim summam totius fidei in eo constituit, vt,  
quisquis saluari velit, ore Dominum IESVM confiteatur, eumque  
a DEO ex mortuis excitatum, in corde suo credat. E contrario  
vanam et stolidam fidem nostram appellare non dubitauit, si  
Christus non resurrexit, cum etiam credentes, Christo mortuo  
non reuocato in vitam, adhuc sint in peccatis, atque adeo ii, qui  
in Christo obdormierunt, perierint, et viuentes, si huius dunta-  
xat vitae gratia in Christo spem habeant, omnium miserimi iu-  
re meritoque sint nuncupandi. Hinc etiam non ipsemet solum  
in resurrectione Christi solide adstruenda omnem praestitit fidem  
et diligentiam: verum etiam Timotheum et quemuis fidelem  
eandem, secundum euangelium a se praedicatum, assidue re-  
cogitare ac meditari iussit. Immo, quicquid praecellentiae vel na-  
tuitas, vel externae honestatis ac iustitiae legalis studium ipsi  
conciiliare poterat, in epistola ad Philipenses scripta ἐν σκωβάλοις  
ponendum duxit, vt Christum lucrifaceret, et in eo comperiretur, non  
habens iustitiam eam, quae est ex lege, sed eam, quae est per fidem in  
Christum, id est, iustitiam, quae est ex Deo per fidem, τῆ γνώσει αὐτόν, καὶ  
τὴν δύναμιν τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ, vt cognosceret ipsum et vim resurre-  
ctionis eius.

Equi-

Equidem mirum cuiquam videri posset, PAVLUM tanta rerum diuinarum, et praesertim mysterii Christi cognitione caelesti favore afflatuque instructum, quanta ad christianae lucis splendorem per totum orbem diffundendum gaudere debuit, Christi virtutisque resurrectionis ipsius cognitionem adhuc desiderasse, et in votis habuisse. Sed non est, quod miremur, si veram ac salutarem resurrectionis Christi, et virtutis illius cognitionem felicioribus in dies incrementis illustrari et amplificari posse meminerimus; si lucem illam caelestem, diuina benignitate in nobis accensam, non solum intellectum illuminare, sed et voluntatem purificare, et in continuo fidei atque pietatis exercitio summam cum voluptate mentis coniunctam esse, ipsa experientia edocti fuerimus; si denique ex pleniore virtutis illius cognitione spem quoque nostram firmiorem stabilioremque reddi senserimus. Et quid in omni vita nostra, quid maxime his ipsis diebus, quos Christo resuscitato festos esse voluit ecclesia christiana, a nobis pie magis, magisque e salute nostra expeti potest, quam, ut benignissimum numen τὴν δύναμιν τῆς ἀνάστασις τῆ χειρὸς accuratius penitiusque cognoscendi, et in nobismet ipsis percipiendi facultatem ac gratiam nobis ex alto largiatur? Haec γνώσις omnem scientiam humanam longe superat, quae quidem rerum diuinarum humanarumque naturam, indolem et causas, vtcunque fieri potest, indagare docet, sed resurrectionem Christi prorsus ignorat, tantum abest, ut virtutem illius cognoscere possit. Et si rem medicam, in corpore nostro et sanando et in sanitate conseruando apprime vtilem, spectemus, plurimum omnino iuuat, veram omnis materiae medicae virtutem cognitam exploratamque habere, cuius cognitio qua ratione acquiratur, suo loco et tempore copiosius disputatur. At vero quantum salus animae corporis sanitati est praeferranda; tanto magis ipsa postulat necessitas, ut medicinae mentis nostrae, resurrectionis Christi, virtutem pie recteque agnoscamus.

IESVM CHRISTVM Θεάνθρωπον sanguinem suum pro nobis profudisse, indignamque nostri causa et loco subiisse mortem, ut virtute vulnere ipsius sanaremur, praeteritis diebus plenius nobis explicatum esse recordamur. Quemadmodum vero ἡ ἀνάστασις χειρὸς, siue reditus Christi in vitam a prophetis multis

retro saeculis, et ab ipso seruatore iterum iterumque praedicta fuit: ita tertio post mortem die Christus non latenter, sed gloriose, testibus primum angelis, deinde etiam hominibus fide dignis, e monumento viuus prodiit κατὰ τὰς γραφάς, et sese victorem ac triumphatorem mortis vniuerso terrarum orbi ostendit; id, quod in hisce diebus festis fidelium coetus laeta grataque mente recolit. Diffiteantur itaque hostes religionis christianaе, IESVM rediisse in vitam: de certitudine resurrectionis Christi nos nulli dubitamus, sed credimus apostolis, ἀντίπταις IESV resuscitati testibus, qui nec falsa de resurrectione Christi persuasione semet ipsos decipere, nec ad alios decipiendos et circumducendos in eam fraudulentè consentire potuerunt: immo credimus spiritui sancto, conuincenti animos nostros de resurrectionis Christi necessitate pariter, atque certitudine, et fidem in IESVM resuscitatum in nobis operanti ac obsignanti.

Sed quae est δύναμις resurrectionis Christi, quam PAVLVS cognoscere cupit? In resurrectione quidem Christi diuinæ potentiae ἐνέργεια demonstrata est, et DEVM τὴν ἐνέργειαν τῆ κρᾶτος τῆς ἰχϋος αὐτοῦ in Christo exseruisse, quum suscitauit eum ex mortuis, apostolus luculenter condocuit. Nec ipsi incognita fuit diuina virtus et potentia, Christo Θεανθρώπων propria, qui, vti Ioh. X. 18. ἐξουσίαν habebat θῆναι abiiciendi et deponendi animam, siue vitam, ita etiam ἐξουσίαν habuit πάλιν λαβεῖν αὐτὴν reuocandi eam, rursumque sibi vindicandi. Namque, docente quoque apostolo Rom. I. 4. PAVLO, agnoscimus Christum ὁμοειδέτα υἱὸν Θεῦ ἐν δυνάμει, κατὰ πνεῦμα ἀγιοσύνης, ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν. Ex mortuis alii iam resurrexerant, quibus tamen ex ipsorum resurrectione diuinum tribui non poterat ἀξίωμα, quia non propria ipsorum virtute, sed solius DEI potentia, vita ipsis restituta erat. Verum Christus ἐξ ἀναστάσεως declaratus et agnitus est filius DEI, secundum diuinam suam naturam patri ὁμοῦσιος, et quidem ἐν δυνάμει, per infinitam illam potentiam, quam αὐτοῦ ζωοποιεῖ, i. e. semet ipsum ex mortuis suscitando demonstrat. In resurrectione ergo Christi et δύναμις patris, qua excitauit filium, et δύναμις ipsius redemptoris, qua se ipsum suscitauit, est agnoscenda, et miranda magis, quam rimanda. Quando autem PAVLVS τὴν δυνάμιν τῆς ἀναστάσεως τῆ κρᾶτος cognoscere cupit, non eam, quae in DEO et Christo est, sed eam,

eam, quae ex resurrectione in animos fidelium fluit, virtutem intelligit. In Christo enim veram consequi iustitiam in praecedenti commate, et in sequentibus statim τῆς κοινῆς τῶν παθημάτων χριστῶ mentione facta, συμμορφούμενος τῷ θανάτῳ αὐτοῦ, εἰς τὴν ἐξανάσθησιν τῶν νεκρῶν deuenire exoptat, metam nondum consecutus, nec consummatus, sed ad praemia diuinae vocationis in CHRISTO IESU contendens. Ex quo etiam constat, non eam primario intelligendam esse δύναμιν, qua mentes nostrae commoueri possunt, vt credamus, resurrectionem Christi stupendum profus diuinae potentiae fuisse documentum, et maiestatis ac gloriae Christi, veri redemptoris hominum in V. T. promissi, testimonium: sed, qua summae felicitatis, per mortem et resurrectionem Christi nobis acquisitae et restauratae, in hac et altera vita participes ipsi fieri possumus. Quam vt luculentius exponamus, primaria resurrectionis Christi virtus sese exferit in gratuita hominis peccatoris coram DEO iustificatione. Aeternam peccatis nostris promeriti eramus mortem: in mortem ergo traditus est Christus propter delicta nostra, et partibus sponsoris vitro susceptis, id, quod iustitiae diuinae soluendum erat, plene persoluit. Solutionem vero Christi sponsoris pro nobis sufficientem fuisse, resurrectio ipsius demonstrat, quippe ex qua colligimus, sponse nostro absoluto, plenam iustitiae diuinae praestitam esse satisfactionem, vt nostra nobis remitti queant debita. Hinc PAVLVS Christum resuscitatum scribit διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν, propter iustificationem nostram, electosque accusari ac condemnari posse negat, DEO ipsos iustificante, et Christo mortuo, μάλλον δὲ, immo vero etiam suscitato, nuncque ad dexteram DEI sedente, ac pro nobis interpellante. Virtus ergo resurrectionis Christi est, qua nos in peccatis mortui spirituali modo viuificamur cum Christo, et fides in IESVM ex mortuis resuscitatum in nobis accenditur: virtus resurrectionis Christi est, qua ii, qui in ipsum credunt, et in ipso inueniuntur, per fidem arctissime cum ipso vniti, propter ipsius iustitiam, qua ipse iustificatus est in spiritu, iusti declarantur a DEO, et in gratiam recipiuntur: virtus resurrectionis Christi est, qua iustificati collocantur ἐν τοῖς ἐπερχομένοις ἐν Χριστῷ IESU, et haeredes DEI ac cohaeredes Christi constituuntur. Hanc ipsam virtutem PETRVS concelebrat, qui Deum

1. Tim. III.

Rom. VIII.

Rom. IV. 25

VIII. 33. 34.

1. Tim. III.

1. Tim. III.

Eph. II. 6.

Rom. VIII.

17.

1. Petr. I. 3. et patrem Domini nostri IESV CHRISTI, benedictum in saecula, ex multa sua misericordia nos regenuisse testatur in spem viuam futurae gloriae, per resurrectionem IESV CHRISTI ex mortuis. Primam hanc virtutem resurrectionis Christi iustificantem altera statim excipit, indissolubili nexu cum illa coniuncta, quam sanctificantem appellare possumus. His enim, qui iustificati per fidem in Christum, et pacem cum Deo sunt consecuti, non permanendum esse in peccatis, fortiore argumento demonstrari non potest, quam Rom. VI. 4. quod a Christi resurrectione ducitur. Qui sepulti sunt cum Christo per baptismum in mortem, vt virtus mortis Christi ipsis eoram DEO imputari queat, illi etiam, quemadmodum Christus excitatus est per gloriam patris, in qua nunc in aeternum viuunt, vna cum Christo ex mortuis suscitati, in nouitate vitae ambulare debent, vt Christo seruiant, et in Christo sese viuere verbis factisque ostendant. Virtus ergo resurrectionis Christi est, qua in piis sanctum excitatur desiderium, quotidie peccatis moriendi, et spiritali modo resurgendi: quae etiam vires spirituales suggerit, id, quod bonum, sanctum, DEOQUE acceptum est, perficendi, nostramque subleuat infirmitatem, adeo, vt, quicquid boni nobis inest, a virtute resurrectionis Christi proficiatur. Eadem porro nos in fide et sanctitate confirmat, statuminat, suffulcitque, vt progrediamur, impellit, et in omnis generis calamitatibus solatur ac erigit, quo in bono proficientes, metam caelestem attingamus. Tertiam resurrectionis Christi virtutem glorificantem dicere liceat, quippe quae animos fidelium non solum de futura corporum suorum post fata resuscitatione et glorificatione, sed etiam de gloria, qua beati coram facie DEI, qua animam primum, tum vero etiam qua corpus, sine fine, et gaudio non interrupto fruentur, quamue PETRVS haereditatem dicit nobis seruatum in 1. Petr. I. 4. caelis, quae nec corrumpi queat, nec contaminari, nec marcescere, certiores reddit, vt mortem non extimescant, sed in spe melioris vitae in lucro deputent, omnibus huius saeculi thesauris praefereudo. Pro ea enim efficacitate, qua IESVS resuscitatus sibi Phil. III. 21. conforme fiat corpori suo glorioso; et, sicuti per Adamum omnes mortui sunt, ita et per Christum omnes viuificabuntur; quam in meditationem vt altius nos immittamus, praesentis scriptiois ratio haud permittit. Indi-





Indicandum nobis nunc est, quid τὸ γινῶναι complectatur, cum apostolus resurrectionis Christi virtutem cognoscere velit. Veram certamque resurrectionis Christi historiam ab apostolo non neglectam esse, ex iis, quae iam monita sunt, luculenter satis patet: doctrinae tamen de resurrectione Christi PAVLVM quam maxime rationem habere, etiam ex dictis constare potest. Haec itaque non perfunctorie, sed solcite, plene accurateque est inuestiganda, vt totum mysterium redemptionis nostrae perspiciatur, totum negotium salutis hominum iusto ordine comprehendatur, et omnes a veritate declinantium hallucinationes circumspice videntur. Quam profundae in hocce mysterio nobis aperiuntur sapientiae et cognitionis, benignitatis ac iustitiae DEI diuitiae? Equis mortalium eas exhaurire? quis mente illas potest assequi? Non solum vero doctrinam de resurrectione Christi ex sacris litteris recte contemplari debent, qui virtutem illius velint cognoscere: sed τὸ γινῶναι potissimum in verbis apostoli scientiam notat practicam, qua homines sensu irae diuinae compulsi, ad Christum confugiunt, et per gratiam viuificantem, fidem vitamque spirituales in se produci patiuntur. Qui enim in Christum credunt, et in Christo inueniri volunt, ac iustificari, non propter opera legis a se praestita, sed propter satisfactionem ac meritum Christi, si demum soli vere agnoscunt et percipiunt vim resurrectionis Christi in animis suis. Hi gratiosam Christi praesentiam in sese sentiunt, et per operationem spiritus ipsius fructibus iustitiae implentur, quos resurrectio Christi nobis peperit. Hi precibus filiali *παραρησῆα* ac fiducia fufis ad thronum gratiae accedunt, et consequuntur misericordiam, et gratiam inueniunt ad opportunum auxilium, per et propter IESVM ex mortuis resuscitatum. Hi denique in cognitione Christi practica et experientia spirituali in dies proficiunt, eorumque internus homo subinde magis renouatur *εἰς ἐπίγνωσιν*, in agnitionem, congruentem imagini eius, qui ipsum condidit. Et ex hac cognitione ineffabilem oriri laetitiam, sincerum in DEVM resque caelestes amorem, cultumque DEO et Christo redemptori exhibendum, non est, quod dubitemus.

Phil. I. 9.  
Col. III. 10.

Facile intelligitis, CIVES OPTIMI, quid ad hanc compellationem nos commouerit, quemque in finem haec strictim et breuiter sunt prolata: admonendi scilicet estis, vt virtutem resurrectionis

ctionis Christi, vti in omni vita vestra, ita in hisce diebus, cultui aeterni numinis IESVQUE suscitati consecratis, pie recteque contemplantini, nec vestra illam culpa in vobis impediatis. Doctrina de resurrectione Christi, et beneficiis in genus humanum ea ipsa cumulatis, ex ambone sacro vobis fusius exponetur: vestrum itaque est, vt illam attente audiatis, auide imbibatis, et firmiter teneatis. Sed ne vobis persuadeatis velimus, virtutem resurrectionis Christi vobis iam satis cognitam esse, si fructus resurrectionis ipsius enarrare, verbisque receptis exponere didiceritis. Explorandum potius vobis est, vtrum resurrectionis Christi virtutem in vobis sentiat, et viuificati a Christo, vitam in Christo spiritualement viuere inceperitis. Huius vitae si adhuc expertes vos esse, vestra ipsorum testetur conscientia, ne gloriemini de cognitione virtutis, e resurrectione Christi in nos redundantis. Occulta etiam eadem vobis erit, dum in voluptatibus carnis, in amore huius saeculi, in vitiis flagitiisque vitam transigere, et operibus tenebrarum dediti, sensum numinis in vobismet ipsis suppressimere non veremini. Ea quidem est peruerforum hominum stoliditas, ea socordia, et durities, vt satis bene sese viuere sibi videantur, licet eos in peccatis mortuos esse res ipsa loquatur; nec ad bonam frugem sese recipere velint, etiamsi miseriam suam ipsi dissimulare nequeant; nec poenam iusti iudicis sentiant, quam longe grauior adhuc est consecutura. Sed qui a vinculis peccati et mortis liberari cupiunt, piis admonitionibus ad fidem vitamque christiano nomine dignam perducere se patientur, et, virtutem resurrectionis Christi vt ipsi experiantur, Christo seruatori suo se magis ac magis approbare connitentur. Agite ergo, CIVES CARISSIMI, excitamini, qui dormitis, et virtute resurrectionis Christi resurgite ex mortuis, vt Christus vobis quoque illucescat. Caelesti autem gratia excitati, de virtute in virtutem progredimini, nec vnquam dubitate, quin DEVS vobis, qui in Christo inueniri exoptatis, luculentiorum virtutis resurrectionis Christi cognitionem, ac felicissimum studiorum vestrorum successum sit donaturus. P. P. in acad. IVLIA ipso festo Paschatis


a. clo lo CCXXIX.





1078





21 ~~XVI.~~

SVTANVS PROGRAMMA  
DE  
VIRTUTE RESVRRECTIONIS

RECTE  
*FESTO*  
*DO*  
IN  
TYPIS PA



edif.  
abs  
cto 1778  
a Chis  
colerde  
P.P.  
Landy.

